



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Hymnvs In Lavdem S. Scholasticae Virginis. Ode XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Mundi sic vegetum dædala spiritum ,
 Velabatquè animam ritè per omnia
 Diffusam : quod aues quatuor angulis
 Cum scepro referunt duæ .
 Nec regni Coluber signa plicans vacat ;
 Atquè ansata supèr Crux agit indicem
 Arcani veteris : doctor vti nouo
 Kircherus monet ordine ,
 Horus Tento sui mystaquè temporis .
 Tu cunctis dominus partibus influis
 Præsens, tu triplicis iure potentia
 Longas clarus habes manus .
 Obuersum quid enim, quiduè sit inuium
 Tellurisquè, Erebiquè, & super æthera ,
 Cœlestis geminis clauibus arbitri ,
 Pulchrâ forte vicarij ?
 Te Solis rutili condecet æmulum
 Par sedes, fidei & iustitiæ iubar :
 Te vitæ celebrat Cor speciosius ,
 Quàm aut Hemphtam, vel Osiridem .
 Ergò stet meritis ardua talibus
 Sacras ante fores machina gloriæ :
 Dicet, Non meliùs, si videat Pharos ,
 Possset stare Diospoli ,

HVMNVS IN LAVDEM
 S. SCHOLASTICAE VIRGINIS.

ODE XV.

Q Valis vaniloquis credita gentibus
 Solis Luna soror, pro facis æmulæ
 Aspectu vegeto, thus quoquè supplicum
 Fraternalis tulerat sacris ;
 Talem te Benedicti, alma SCHOLASTICA,
 Germanam recolit turba fidelior ;
 Aris impositâ suauibus hostiâ
 Tutelam rogitat tuam .

E

Sol

Sol mundi occiduis, ast oriens tamen,
Verè frater erat partibus, vt nigras
Peccati tenebras verteret igneæ

Virtutis iubare aureo .

Illi mente piâ, vt sanguine, proxima
Ibas, Virgo, sacri prodiga luminis
Latè per populos : stella velût comes

Auroræ decus aggerat .

Quod vidère patres, discite posteri,
Docturi sobolem, nobile virginis
Certamen ; rutilæ quo meruit domûs

Victrix tangere verticem .

Exemploquè ducis mœnia fœminæ
Cælestis patriæ tundite machinis
Votorum atquè precum, non sine fletibus

Offensi querulis Dei .

Fluxi delicias, ac bona seculi,
Natiuas & opes, & genus, & lares
Aspernata, oculos fixit in æthere,

Non nostri mulier luti .

Hinc prona obsequijs sidera debitæ
Parebant dominæ, per liquidum diem
Quærenti reditus obstruere hospitis,

Fufis largiter imbribus .

Nunc inter roseos candida Cœlites
Quid non Diua potest ? candida ; turturis
Auras nam specie dissecuit leues,

Pictum cùm peteret polum .

Mirum, quàm niuæ simplicitas auis
Agno conueniat velleris integri :
Mirum, quàm cupido forma decentior

Sponso lampade prodeat .

O ! venti, pluuiæquè, atquè hyemis feræ
Raucò cum tonitru, si libuit, potens
Olim ; signa boni iam refer indiges

Axis lata clientibus .

Da mentis placidæ gaudia libera,
Da tranquilla vagi tempora corporis ;

Extinctisque parem concilies statum,
 Solennis petimus chorus.
 Aeterno Superum gloria sit patri,
 Aeternique patris gloria filio,
 Aequæuo pariter gloria flumini
 Seclis longior omnibus.

HENRICO MAVPASIO DE TVRRE,
 EBROVICARVM ANTISTITI.

Cum ad Pontificem Max. publicè missus pro Rege Christianissimo & Clero Gallia de FRANC: SALESIO inter Diuos referendo, præuium Consecrationi gradum obtinisset Beatitatem. Quo nomine solenne etiam illi statutum sacrificium fecit ipse primus in Basilica Vaticana, Ianuario mense, cum integræ Apotheoseos fiducia propediem consecutura.

O D E X V I.

E Dixit vltro, conciliantibus
 In vota Gallis, æthera Pontifex
 Sedem SALESI: nunc licebit
 Sidereum celebrare ciuem.
 Nunc thure, & aris, & prece supplice,
 Fixoque lætis munere postibus
 Assuescat ambiri, capacis
 Iure patrocini beatius.
 Rem quisquis arctam latius extulit,
 Trahit sequaces. Fœnore ducimur.
 Hac lege Persæ fructuosum
 Solliciti coluere Mithram.
 Sublimiorem sole Salesium
 Cernamus imi; sole Salesium
 Benignorem iam soluti
 Cimmerijs veneremur vmbis?
 Heu, vita duris quassa laboribus
 Spirabat illi, & spretus honor sui

E 2

Quon-